

so ac eorum haeredes debere decernentes et committentes, Imo commitimus gaudere, uti atque frui, Authoritate Regia Nobis in hac parte concessa et nostra Iudiciaria mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes Litteras nostras privilegiales pendentis et Authentici sigilli nostri munimine roboratas, eisdem Nobilibus Districtus praescripti Castri maioris Kemlek, ipsorumque haeredibus et posteritatibus Universis duximus concedendas Justitia communi svadente. Datum Budae praedicto tricesimo nono die Octavarum festi beati Michaelis Archangeli praedictarum, Anno Domini 1492. Nos igitur praemissa supplicatione pro parte memoratorum Universorum Nobilium Districtus praedicti Castri maioris Kemlek, Nostrae modo praemisso porrecta Maiestati, Regia Benignitate exaudita et clementer admissa, praescriptas litteras praefati condam Comitis Stephani de Bathor adiudicatorias et sententionales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibusque litteris nostris Privilegialibus, de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earundem continentias, Clausulas et Articulos, eatenus, quatenus eadem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus. Et nihilominus eas ac omnia et singula in eis contenta, pro praefatis universis Nobilibus Districtus dicti Castri maioris Kemlek, eorumque haeredibus et posteritatibus universis innovantes perpetuo valituras confirmamus, praesentis scripti nostri Patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes Litteras Nostras Privilegiales Secreto Sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti communitas, duximus concedendas. Datum Budae in festo Beatae Dorotheae Virginis et Martyris. Anno Domini 1526, Regnorum nostrorum Hungariae et Bohemiae praedictorum &c. Anno decimo.

Tertiarum tenor talis est: Nos Comes Georgius Thurzo de Bethlenfalva, Regni Hungariae Palatinus et Iudex Cumanorum, nec non de Arva perpetuus eiusdemque Comitatus Supremus ac perpetuus Comes, et Sacratissimi Principis ac Domini Domini Mathiae, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Marchionis Moraviae, Comitis Tyrolis et Habsburgi &c., intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod nos, cum ad nonnullorum instantem supplicationem apud Nos propterea factam, tum vero attentis et consideratis fidelibus servitiis Nobilium Sclavorum unius sessionis infra denominandorum, quae ipsi Sacrae primum Regni Hungariae Coronae ac deinde praefatae quoque Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestati Domino nostro Clementissimo pro locorum et temporum varietate juxta suae possibilitatis exigentiam fideliter exhibuerunt et impenderunt ac imposterum quoque exhibere sese et impendere velle pollicentur, Totales ipsorum Nobilium jam specificandorum portiones possessionarias cum Curis Nobilitaribus, videlicet Michaelis Chochek in Kobiline, Petri Maydrugh, Stephani Pomper, Nicolai et Stephani Turkovich, Antonii et Matthiae Kuzmich, Joannis Sturlec in Jakusovec et Felső Radussiezy, Mathiae Voynoveczky aliter Zokach in Voynovezy, Joannis Flyok de Hisanovec, Stephani Golecz in praefata Hisanovec, Martini Plavec, Joannis Kesser, Michaelis Striga in Drobkovec et Zaistovec, Martini de Ugrinovec in Popovec aliter Ugrinovec, Pauli Golecz de